

ejus copia tunc in venis colligitur et haeret, illae dilatantur, et intumescunt.

EXPERIMENTVM VI.

Motus cordis et arteriarum, quem plerumque pulsus vocamus, meretur ut ejus ratio et frequentia paulo accuratius indagetur. Cui itaque ejus frequentiam in una hora numerare placuerit, iste experietur, pulsus in una hora posse ad quatuor, quinque et sex millia contingere. Variare enim hoc potest, pro varietate, temperamenti, et constitutionis corporis.

EXPOSITIO.

Non frustranea vero est haec pulsationum in arteriis numeratio, sed exinde facile possumus conficere calculum, quot vicibus circiter in una hora circulatio sanguinis in unoquoque homine absolvatur. Posito quippe hoc pulsuum numero, ulterius praesupponimus 1. cavitatem ventriculorum cordis posse unciam unam vel alteram liquoris recipere in diastole, easdemque singulis pulsibus in systole in arterias propellere, 2. pondus sanguinis in homine sano et adulto ad viginti libras se extendere. Ex quibus facta computatione relinquitur, sanguinem una hora, multis vicibus, in corpore circumagi, id quod celerrima mammillarum in nutricibus ab assumpto cibo et potu repletio, cita potulentorum per renes evacuatio, et largiores haemorrhagiae suo quodam jure requirere videntur.